



**Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1525. usque ad annum 1529

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1769**

**VD18 90118480**

§. 89. Libri a Beda contra Erasmus scripti venditio a Galliarum Rege  
prohibita.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66472](#)

monias Religionis maxime parvi pendet, & Sæcul. XVI.  
omnem ab illis fiduciam auffert, atque in A.C. 1526.  
quit: *Rasum caput, & vestis color non commendat me Deo.* XV. In Dialogo, qui  
dicitur, naufragium, impie ridet titulos,  
quos Ecclesia recte tribuit Beatæ Virginis:  
comparat eam Veneri, & facit ei illam succidere  
in agenda cura Nautarum. In Dialogo,  
qui dicitur: *Inquisitio de fide*, damnantur  
præcipue quinque errores. Alium ad-  
huc edidit Dialogum Franciscani, in  
quo Erasmus contendit: *Convenientius  
esse, quod Religiosi non differant uestibus a  
ceteris.*

Hi sunt præcipui errores, quos Fa-  
cultas Theologica in Erasmi libro dam-  
naverat.

### §. LXXXIX.

*Libri a Beda contra Erasmum scripti  
venditio a Galliarum Rege  
prohibita.*

Insuperhabita Facultatis damnatione *Inter epist.*  
Franciscus Galliarum Rex, si Erasmo *Erasmi l. 29.*  
fides adhibenda, tantopere indignaba- *ep. 73 p. 802.*  
tur censuras, quas Beda ferebat, ac *l. 20. ep.*  
præcipue illas, quibus ejusdem Aucto- *l. 24. ep. 4.*  
ris Paraphrases in novum Testamentum *p. 1281. Id.*  
perstrinxerat, ut illas in Regno diven- *ep. 62. l. 19.*  
di prohiberet, eo potissimum nomine,  
quod hac in re suam quoque auctorita-  
tem

Sæcul. XVI. tem vilipendi crederet; quocirca iram  
A. C. 1526. suam in Syndicum exonerans, illum in  
 aula, ubi tum ex negotio Facultatis  
 agebat, comprehendendi jussit. Evidem  
 nonnisi unica die captivus detinebatur,  
 non aliter tamen libertatem consequen-  
 tus est, quam ea lege, ut quoties jube-  
 retur, se coram fisteret. Die nona A-  
 prilis Anno Domini millesimo quingen-  
 tesimo vigesimo sexto Rex Ambasæ li-  
 teras ad Parisiensem Curiam regio Si-  
 gillo munitas dedit, quibus eidem in-  
 junxit, ut Syndici libros contra Eras-  
 mum distrahi prohiberet. In hac Epi-  
 stola Rex Facultatis Theologos tradu-  
 cit velut viros odio in Erasmus præven-  
 tos: „ Cum enim, inquit Rex, perspe-  
 „ ctim habeamus, quod præfata Facul-  
 „ tas, ejusque membra promiscue con-  
 „ tra quemcunque calamos suos acuant,  
 „ eorum honori, Statui, ac famæ de-  
 „ trahant, prout novissime contra Eras-  
 „ mum fecerunt, & facile adversus alios  
 „ quoque pari modo procedere possent,  
 „ ideo vobis mandamus, ut quantocius  
 „ Facultatis præfatæ Doctoribus, eo-  
 „ rumque deputatis nulla mora præci-  
 „ piatis, ac interdicatis, ne imposterum  
 „ generatim aut speciatim vel minimum  
 „ scribant, componant, vel typis evul-  
 „ gent, nisi prius in pleno Curiæ confessu-  
 „ a vobis, vestrisque Ministris fuerit re-  
 „ cogni-

, cognitum : atque approbatum. Vide Sæcul. XVI,  
tur Parisiense Parliamentum Regiæ hu- A. C. 1526  
jus Epistolæ rationem habuisse, ipsum-  
que Jodocum Bade, qui Bedæ librum  
contra Erasimum, insuperhabito Regis  
interdicto, prælo subjecit, reprehendis-  
se ; quippe in tabulis Curiæ Parlamen-  
ti existat Epistola Jodoci Bade Latine  
conscripta, in qua idem afferit suis lite-  
ris duntaxat sexcenta quinquaginta ex-  
emplaria libri, quem composuit Beda,  
fuisse excusa , ac nunc non nisi eorum  
quinquaginta supereesse, ea vero nulla-  
tenus se venditurum promittere.

§. XC.

*Erasmus a Francisco Galliarum Rege  
plurimi habitus.*

Hæc Francisci Regis Benevolentia  
haud obscure testatur , quod Eras-  
mum jure merito plurimi habuerit, nec  
illum viris de fide suspectis , aut spar-  
gendi erroribus studiosis accensuerit.

Quapropter Erasmo per amicos , quos *Int. Epist.*  
in aula habebat, significari voluit , ut *Eras. ep. 96*  
in Francia sedem figeret , hancque in  
rem eidem Conditiones proposuit, quibus  
ampliores haud exoptare valuisset. Hæc  
ex quadam Epistola discimus , quam Gui-  
lielmus Cop Regis Medicus speciali ejus-  
dem jussu die decima sexta Februarii  
hoc